

tunc actus voluntatis; tum quia multis videtur non posse voluntatem simul efficere plures actus non subordinatos; tum etiam, quia esto non sit impossibile, est tamen superfluum, et contra experientiam, ut apparet: nam quando aliquis diligit amicum considerando plures perfectiones ejus, quantumvis diversas, ut quod sit nobilis, studiosus, doctus, non diligit illum pluribus amoribus, sed uno, qui ex omnibus illis rationibus excitatur: cujus signum esse potest, quia tunc voluntas ferventius amat: ergo tota illa causalitas applicatur ad unum actum, nam si distraheretur in plures: remissius amaret, cum in unum non conjungerentur: ac denique, quia si essent singuli actus propter singulas rationes, unusquisque excitareretur sine alio propter suum motivum: contingit autem non ita esse, ut in argumento sumpsimus.

3. In contrarium est primo, quia D. Thomas, eadem quæst. 1, art. 3, ad 3, dicit unum actum tantum habere unum objectum proximum et immediatum, quamvis possit habere plures fines remotos: quod maxime verum esse debet ex objecto formali, a quo maxime pendet bonitas, vel pluralitas actus: atque idem repetit, 1, 2, quæst. 19, art. 2. Ubi in solutione ad primum dicit finem actus tantum esse unum, quod est verum de fine intrinseco, qui coincidit cum objecto: unde ibi subdit hunc finem non ordinari ad alium finem, nisi ex accidente et remote: si ergo unus actus tantum potest habere unum objectum, tantum potest ab illo habere unam bonitatem. Secundo urget ratio, sectione præcedenti, insinuata, quod vel hæc duplex bonitas intelligeretur esse in eadem indivisibili entitate actus, vel in diversis partialibus componentibus unam. Primum dici non potest, quia unius entitatis indivisibilis una est essentia: ergo una specifica differentia: ergo una bonitas intrinseca ex objecto sumpta. Patet ultima consequentia, quia dictum est hanc bonitatem esse ipsam differentiam specificam actus in entitate sua physica, vel convenientiam ad naturam humanam, quæ in illa fundatur, quod perinde est juxta supra tractata. Secundum, etiam dici non potest, primo quia si bonitates illæ specie differunt, etiam entitates, quia sunt idem: ergo erunt entitates totaliter distinctæ et non partialiter, atque ita erunt plures actus, et non unus compositus ex multis partibus. Probatur hæc ultima consequentia; tum quia fingi non potest quisnam sit modus compositionis ex his partibus, quia nec potest esse per modum actus et

potentiæ, seu materiæ et formæ: jam enim generaliter ostensum est hanc compositionem non reperiri in his qualitatibus: et in his de quibus agimus, non potest ratio assignari, ob quam una pars magis sit per modum potentiæ, vel actus, quam alia: quia utraque æque primo tendit in objectum propter suam rationem, et neutra ordinatur ad objectum alterius, ut ad finem, neque ab altera imperatur. Neque etiam potest esse illa compositio per modum integritatis cujusdam, seu continuationis ob rationes quas, sect. præcedenti, feci, quæ hic etiam maxime urgent; tum quia juxta communiorum philosophorum sententiam, quæ specie differunt, ut sic, non possunt continuari; tum etiam, quia in ipsis motivis nullus est nexus, vel continuatio: unde ex parte actus non potest assignari aliquod continuativum, quia ex parte objecti nihil est, quod illi respondeat. Tandem, quia si illa motiva essent in materiis diversis, differentia ex illis sumptæ constituerent actus omnino realiter distinctos: sed quod conjungantur in eodem objecto materiali nihil refert ad unitatem actus, quia, ut ostensum est ex objecto materiali, ut sic, non sumitur entitas actus, neque habitudo ad objectum materiale, et formale distinguuntur ex parte actus. Quod etiam ab inconvenienti confirmari potest, quia alias actus amoris, amicitia, et concupiscentiæ Dei substantialiter esset, ac realiter unus et idem, quia illa motiva diligendi in eadem re conjunguntur.

4. *Duplex quæstionis sensus.*—Duobus modis intelligi potest unum actum versari circa eandem rem sub diversis motivis proximis et immediatis. Primus modus est, quod illa diversa motiva sumantur ut plura, et diversa, et ut integra in sua specie: et consequenter, quod actus sumat ab illis diversas species bonitatis ex natura rei distinctas. Secundus modus excogitari potest, si illa omnia motiva concurrant per modum unius, et tanquam partes componentes unum bonum simpliciter perfectum, a quo sumat actus unam tantum speciem bonitatis diversam ab illis, quæ sumi possunt ex illis motivis per se sumptis, easque velut in virtute, et eminenter complectentem.

5. Circa priorem modum mihi videtur clara resolutio ex dictis, nimirum non posse unum, et eundem actum voluntatis habere simul duas bonitates ex natura rei distinctas; et consequenter non posse tendere in unum objectum materiale sub pluribus rationibus, seu motivis proximis, ut plura sunt, et omnino

distincta. Hoc convincunt (ut existimo) rationes secundo loco factæ, in numero scilicet 3, quæ amplius possunt ex principiis Metaphysicis in hunc modum conformari. In primis sumo illum actum non posse esse unum per compositionem ex pluribus partibus realiter distinctis: quod satis probatur rationibus hic factis, et in superiori sectione. Rursus in indivisibili entitate nunquam reperiuntur duæ rationes formales, seu differentia specificæ ultimæ ex natura rei distinctæ, ita ut utraque sit essentialis, et primaria in tali entitate; sed quando contingit, ut inveniantur in una re duæ rationes formales a parte rei distinctæ aliquo modo, necesse est, ut altera sit essentialis tali entitati, altera sit modus ejus: vel si utraque sit essentialis, supponit aliam tertiam primariam et essentialem tali entitati. Nam in calore, exempli gratia, est et ratio caloris, et ratio calefactionis seu dependentiæ, et juxta communem sententiam, ratio similitudinis. Ex quibus sola ratio caloris est essentialis illi entitati; aliæ vero rationes sunt quidam modi, qui per se non valent constituere entitatem, sed solum modificant entitatem constitutam: unde fit, ut illa entitas nunquam possit in rerum natura reperiri absque ratione caloris; posset autem esse sine ratione calefactionis, aut similitudinis, quia prima ratio cum sit essentialis, est invariabilis, et ideo e contrario, non possunt posteriores rationes modificantes esse absque priori entitativa: hæc vero potest esse sine hoc vel illo modo.

6. Ratio autem a priori hujus principii est, quia essentia rei omnino est idem cum entitate rei, vel potentiæ, si de essentia abstracte loquamur, vel actuali, si loquamur de essentia existente: ergo prima ratio formalis, quia est essentialis unicuique entitati, nullam realem compositionem facit cum illa; ergo non potest hæc ratio multiplicari in eadem entitate; ergo si in una entitate dicantur reperiri plures rationes formales ex natura rei distinctæ, et factes compositionem a parte rei; necesse est, ut una tantum earum sit essentialis, quæ necessario erit immutabilis manente tali entitate: aliæ vero erunt extra essentiam, saltem ut modi talis entis, qui variari possunt circa talem entitatem. Ex hoc ergo principio concludo in uno actu interiori non posse simul esse duas bonitates objectivas ex natura rei distinctas, quia non potest utraque earum esse essentialis illi actui, quia uniuscujusque rei essentia una tantum esse potest, sicut et entitas, quia, ut dictum est, essentia et entitas non componunt,

nec distinguuntur in re: item quia in tali actu esset separabilis una bonitas ab altera, et e contrario, quia et distinguerentur ex natura rei, et neque ex parte objectorum, neque ex natura sua haberent inter se necessariam connexionem, neque una magis aliam supponeret, quam e converso, cum utraque per se tendat in suum objectum absque eorum ordine inter se: hoc autem repugnat rationi essentiali, ut ostensum est; ergo neutra earum esset de essentia talis actus, quod est contra dicta, et præterea oporteret utrique earum supponi aliam rationem essentialem tali actui, quæ satis etiam a nobis est exclusa.

7. Nec dici potest unam ex his rationibus esse essentialem actui, aliam vero modum ejus. Primo, quia non est major ratio de una, quam de alia, quia utraque tendit in suum objectum formale, sine ordine ad alterum. Deinde, quia ostensum est esse mutuo separabiles, quod repugnat rationi essentiali et modificanti: quia licet res possit separari a modo, non tamen e contrario. Tertio propter illud principium Metaphysicum, quod longum esset exponere, scilicet, quod illa ratio, seu differentia, quæ per se sufficiens est ad constituendam primo entitatem, nunquam est modus alterius, quia istæ duæ rationes sunt primo diversæ, et quia eadem differentia semper constituit eodem modo. In præsentem autem quælibet ratio formalis talis objecti, et differentia ab illo sumpta est per se sufficiens ad constituendam entitatem cujusdam actus voluntatis, verbi gratia, justitiæ, aut misericordiæ, etc., quæ esset in tali actu, si ex illo solo motivo fieret: ergo etiamsi simul moveatur voluntas a pluribus motivis hujusmodi, a nullo eorum sumitur differentia, quæ constituat modum actus, sed quæ constituat propriam entitatem actus: ergo erunt illi duo actus distincti, et non unus habens plures bonitates, et hæc rationes probant similiter in actibus intellectus. Propter quod existimo certum non posse unum, et eundem actum esse simul fidei et scientiæ, ut ex instituto traditur, disp. 3, de Fide, sect. 9. Eadem etiam rationes probant de habitibus: nunquam enim reperietur unus habitus, qui simul sit in duplici specie virtutis, quod non provenit, nisi ex principiis positis. Probant etiam factæ rationes non posse simul unum actum esse in specie naturali et supernaturali, quæ sit vera species intrinseca, et realis. Et ex his exemplis potest etiam conclusio, velut inductione quadam confirmari.

8. Ex rationibus autem in contrarium fac-

tis, n. 2, duæ primario procedunt contra hunc sensum. Ad quarum primum facile respondetur D. Thomam ibi locutum esse de actibus externis, in quibus moralis species semper est accidentaria, et ideo nihil obstat quominus unus actus in esse naturæ sit in pluribus speciebus moris: et hoc colligi potest ex principio illius solutionis, ubi D. Thomas aliter loquitur de actu interno. Vel certe, si velimus illa verba extendere ad actus voluntatis, non est necesse intelligi de speciebus sumptis ex objecto, sed absolute de speciebus moralibus, sive sumantur ex objecto, sive ex circumstantiis, aut fine, nam hoc modo (ut infra dicam) non repugnat unum actum habere plures bonitates vel species.

9. Ad secundam rationem respondetur nunquam in eadem entitate reperiri duas rationes formales a parte rei distinctas essentielles uni, et idem entitati, sed si aliquando a nobis distinguuntur, est per rationem tantum, et conceptus inadæquatos, quomodo distinguimus intellectum a memoria: hic autem agimus de rationibus distinctis a parte rei, quæ in præsentia non possunt se habere, ut essentia, et modus, ut declaratum est.

10. Tertium argumentum, in eod. n. 2, tangit alterum modum, seu sensum quæstionis in n. 4 adductum, in quo videtur magis dubia resolutio: nam omnia adducta in illo argumento videntur persuadere fieri posse, ut intellectus simul consideret in objecto plures rationes objectivas, ex quibus veluti conficiat dignitatem quamdam, pulchritudinem, aut existimationem illius objecti, ratione cujus iudicet esse diligendum, ut quid optimum, et excellens: et quod tunc voluntas possit uno motu tendere in illud objectum sic propositum sub illa adæquata ratione, a qua non sumet plures species bonitatis, verbi gratia, justitiæ, misericordiæ, etc. Sed unam ab illis distinctam et superiorem illis: quomodo verisimile est Christum Dominum fuisse operatum: et potest adjungi ratio, seu conjectura, quia virtutes inferiores multipliciter, et divisim operantur: superior autem virtus solet operari unite: ergo licet actus particularium virtutum tendant in singulas rationes bonitatis, ut motiva integra, et totalia, poterit etiam dari virtus superior, quæ omnia illa complectatur per modum unius, sicut Angelus intelligit omnia uno actu, quæ respectu inferioris sufficerent ad multiplicandos actus.

11. In contrarium est, quia licet hæc excellentia, et universalitas virtutis fortasse non sit

absolute impossibilis, tamen respectu humanæ voluntatis operantis connaturali modo videtur excedere capacitatem ejus: alioquin superflua esset distinctio specialium virtutum hujusmodi in voluntate: nam sufficere posset una, quæ per modum unius complecteretur omnes rationes honestatis, nam illa etiam posset elicere actus speciales circa singulas rationes honestatis, quamvis essent illi inadæquati: sicut Angelus per eandem speciem, qua potest plura intelligere, potest efficere actum inadæquatum circa unam rem tantum. Confirmatur, quia alias posset etiam voluntas simul uno actu velle objectum propter rationem naturalem, et supernaturalem componendo ex illis unum integrum objectum undique bonum, ac perfectum: est enim in hoc eadem ratio. Consequens videtur falsum, quia talis actus nec naturalis esse potest, nec supernaturalis. Simile argumentum sumi potest ex actibus intellectus, nam si hoc potest facere voluntas, eadem ratione poterit intellectus uno actu assentiri veritati propter motiva diversarum rationum, quatenus illa simul sumpta videntur constituere unum objectum aut clarius, aut certius: poterit ergo idem assensus intellectus fundari in divina auctoritate, et principiis evidentibus, vel etiam in auctoritate humana: atque ita in una specie assensus complectetur, quidquid est scientiæ, et fidei divinæ et humanæ: quod tamen omnino falsum est, ut suppono ex materia de fide.

12. *Unum pronuntiatum pro decisione.* — In hac re, quæ mihi dubia videtur, dicendum imprimis censeo regulariter, ac fere semper cum voluntas operatur propter plura motiva in objecto inventa, et formaliter diversa elicere plures actus habentes bonitates specie diversas, quia licet videtur voluntas simul propter illa omnia motiva interius operari, re tamen vera actus voluntatis non fiunt in eodem indivisibili instanti, sed unus post alium, quamvis velocissime. Quod potest ex parte intellectus suaderi, quia non potest facile simul in eodem instanti considerare in eodem objecto seu actione plures rationes honestatis objectivæ, præsertim cum ad judicandum de qualibet earum sæpe sit necessaria perfecta attentio, et collatio plurium rerum. Fit ergo hæc consideratio intellectus regulariter loquendo, per velocissimam actuum successionem: ita ergo fiet in voluntate, quia hæc non movetur actualiter, nisi ab illo objecto, quod actu aliter consideratur. Vel certe, quia licet contingat interdum voluntatem in eodem instanti moveri ex

pluribus rationibus honestis actu consideratis, nihil repugnat, quod plures actus simul efficiat: imo ita necessario operabitur, si illas rationes sumat, ut prorsus distinctas, sicut dictum est: nam in eo casu, etiam intellectus habebit plures actus, quibus illas bonitates considerat, quia diversis rationibus, et mediis de illis ferret iudicium: erunt tamen illi actus tunc aliquo modo imperfecti, quia *virtus divisa in plura, minor est in singulis*: fiet tamen aliquo modo per modum unius, quia circa eandem rem versantur, et ex hac parte erit major quædam facilitas ad sic operandum. Nec refert, quod fortasse voluntas non operaretur ex uno solo motivo, nisi plura concurrerent quia hoc pendet ex libertate voluntatis, et ita potest accidere sive voluntas uno actu, sive pluribus moveatur.

13. *Alterum pronuntiatum.* — Adde ulterius et dico secundo, interdum posse voluntatem moveri uno actu ad unum objectum materialiter, ut affectum pluribus bonitatibus in eo consideratis, si ex omnibus illis intellectus, quasi conficiat unam rationem boni ab omnibus distinctam, et quasi ex omnibus compositam: quod videtur facere posse altero, et duobus modis. Primus est per modum confusæ cognitionis, ut si post distinctam considerationem singularum bonitatum absolute iudicet hanc rem esse optimam, et honestissimam sumendo veluti rationem communem omnibus illis bonitatibus, et pluris æstimando illam ex aggregatione plurium: in hoc enim modo operandi nulla est repugnantia, imo videtur valde usitatus, et accommodatus modo operandi hominum. Secundus modus est per modum totius integralis, ut intellectus consideratis pluribus bonitatibus in eadem re, apprehendat ipsam unionem earum per modum cujusdam excellentis bonitatis, sicut incorporalibus, licet pulchritudo constet ex perfectionibus specie diversis, qualis est color, quantitas, etc., nihilominus ex omnibus his intelligitur consurgere una bonitas, quæ movet affectum ad unum amorem. Et in anima ipsa integra justitia, quæ ex infusione gratiæ, et donorum consurgit, et una integra pulchritudo animæ, quæ unum amorem excitat, quamvis ipsa ex variis virtutibus consurgat: et ratio est, quia quæ sunt plura in uno genere, possunt esse unum in alio: quod maxime verum habet in ordine ad apprehensionem, et motum animi, nulla est ergo in hoc repugnantia, et ad summum hoc probant argumenta, quæ pro hac parte facta sunt, n. 10, reliqua vero solum

procedunt quando illæ rationes, ita sunt distinctæ, ut non possint per modum unius componi in ordine ad eundem actum.

SECTIO IV.

Utrum actus voluntatis habeat unam bonitatem in ordine ad plura objecta materialia, ad quæ tendit sub eadem ratione honestatis.

1. *Quoad distinctionem specificam qui dicant sumi ex distinctione materiali objectorum.* — Quæstio hæc intelligi potest vel de eadem bonitate in specie, vel una numero, et de utroque sensu breviter dicam. Et de bonitate specifica primo est vulgaris opinio Nominalium, actus virtutis circa objecta diversa materialiter esse specie diversos, etiam si ratio honestatis sit eadem in objectis. Quod necesse est sentire omnes, qui existimant substantiam actus voluntatis sumi ex materiali objecto, et bonitates tantum esse modos, vel formalitates illius: nam si species substantialis actus sumitur ex habitu ad materiale objectum: ergo variato illo objecto essentialiter, et specificè in esse entis: necesse est variari etiam actum: quod sic potest confirmari, quia actus voluntatis circa idem materiale objectum diverso tempore facti differunt numero: et similiter actus circa objecta materialia specie diversa: magis enim distat amor Angeli ab amore hominis, quam amor unius hominis ab amore alterius: ergo si hi differunt numero, necesse est, ut illi differant specie, quia post distinctionem numericam nulla est proximior, et minor specifica.

2. Dicendum est tamen solam materialem distinctionem objectorum non satis esse ad distinctionem bonitatis specificam actus voluntatis, atque ita actus habentes idem objectum formale, habere unam bonitatem in specie, etiam si circa res distinctas versentur. Hæc sententia sumitur ex D. Thoma, prima secundæ, quæstione decima nona, articulo quinto, et sexto, et clarius secunda secundæ, quæstione vigesima quinta, articulo primo, et in ejus schola est receptissima sententia. Quæ potest imprimis suaderi, nam ejusdem rationis est bonitas temperantiæ, aut misericordiæ in voluntate, qua servatur medium illarum virtutum, sive materia comedendi sint carnes, sive aliæ res, et sive subveniatur proximo, dando illi argentum, vel aurum, vel triticum: quia hæc, et similia sunt per accidens ad honestatem virtutis, quin potius accidere potest, ut circa plures ex his materiis versetur unus actus

non solum specie, sed etiam numero, et indivisibilis in sua substantia, et entitate, et consequenter in sua intrinseca bonitate, ut si quis uno motu voluntatis velit se gerere temperate in toto prandio, quantumvis diversis rebus constet, aut velit bona sua distribuere pauperibus etiamsi multiplicia sint, et clare, ac distincte sibi proposita: ratio vero sumenda est ex contrario fundamento oppositæ sententiæ: nam actus interior voluntatis non habet substantiam suam a materiali objecto voluntatis per se præcise, ac formaliter, sed habet unicam simplicem speciem ab objecto sub tali ratione formali intento: ergo ubi in objecto est eadem ratio formalis, erit in actibus eadem bonitas: conveniunt enim tales actus in bonitate, quæ convenientia non potest esse, nisi specifica, cum sumatur ex ultima differentia, et specifica ratione objecti, cumque ex objecto materiali, ut sic, nihil sumatur, in quo possint specie differre. Denique objectum formale ut sic, quasi contrahit materiale, et ideo sola materialis diversitas non sufficit ad distinctionem specificam bonitatis.

3. Neque contra hoc obstat conjectura superius adducta, quia in numerica distinctione potest esse latitudo, et major, aut minor convenientia, et similitudo inter ipsa individua, ut eodem argumento convinci potest, nam magis inter se disconveniunt bonitates sumptæ ex objectis materialibus solo numero differentibus, quam bonitates, quæ sunt in ordine ad idem objectum materiale numero in diversis actibus elicitis diversis temporibus, aut a diversis hominibus: et nihilominus certissimum est illam non esse differentiam specificam, et in aliis accidentibus respectivis id non reperitur.

4. Dico autem conclusionem intelligendam esse quando objectum formale est omnino idem respectu omnium materialium: nam si aliquo modo varietur, vel in se, vel in modo (ut sic dicam) informandi objectum materiale, poterit sufficere ad distinctam bonitatem actus, licet forte non distinguat virtutis habitum. Exemplum est in adoratione, seu latria absoluta, vel respectiva, quæ juxta probabilem sententiam specie differunt in actibus, quamvis in eadem excellentia objecti fundentur: quia adoratio absoluta respicit illam excellentiam in se, et ut intrinsece afficientem personam: respectiva vero solum attingit illam per quamdam habitudinem extrinsecam: atque idem multi existimant de amore Dei et proximi, et de intentione finis, et electione medii

propter bonitatem finis, de quo postea. Atque ad eundem modum idem objectum bonum sub diverso statu, et habitudine propositum, potest variare actum et bonitatem ejus. Sic enim bonum absolute propositum excitat amorem, seu simplicem voluntatem: consideratum vero ut absens, et prosequendum excitat desiderium, et intentionem, ut, in prima secundæ, D. Thomas tractat; et ratio omnium est, quia hæc diversitas sufficit causare diversum modum operandi voluntatis, et ideo respectu actuum induit aliquo modo diversam rationem formalem objecti, de quo latius alibi.

5. *Quoad distinctionem numericam primus dicendi modus.*—*Secundus modus.*—Circa secundum sensum quæstionis de unitate numerica possunt excogitari varii modi dicendi. Primus est tot multiplicari bonitates in actibus, quot sunt objecta materialia distincta. Sed hoc ita absolute sumptum non potest esse verum: quis enim dicat quatuor actus, vel bonitates elicere eum, qui vult, aut quatuor numos argenteos in eleemosynam dare, aut quatuor hominibus subvenire, quod in actibus malis certum est; non enim centum peccata committit, qui centum furari vult. Alius modus dicendi esse potest circa hæc objecta esse unum actum, compositum tamen ex tot partibus, seu bonitatibus partialibus, quot sunt objecta materialia. Sed jam sæpe improbavi hanc compositionem in his actibus, quæ certe maxime est superflua in ordine ad hæc objecta materialia inter se omnino discretata.

6. *Verus modus.*—Dicendum est ergo quando res materialiter diversæ (licet in se sint distinctæ) tamen voluntati simul proponuntur per modum unius objecti adæquati, et sub una ratione boni, tunc tantum esse in actu voluntatis unam numero bonitatem simplicem, et indivisibilem in sua entitate. Probatur, quia hæc bonitas actus est substantialis ejus entitas, et tendentia in objectum: sed tunc voluntas unico impetu, et inclinatione tendit in totum illud objectum per modum unius: ergo realiter est in voluntate unius simplex actus: ergo unica ejus bonitas ex objecto: et confirmatur a sufficiente enumeratione, quia ibi non sunt plures actus, nec compositio ex pluribus partialibus actibus propter rationes factas: ergo est unica simplex entitas actus: ergo est una numero et simplex bonitas.

7. *Corollarium ex dictis.*—Unde infero, quocumque alio modo varietur hoc objectum materiale, sive in toto, sive in parte, variari totum actum voluntatis quoad individuum en-

titatem ejus, et bonitatem, quia in voluntate creata non potest intelligi denuo aliquid velle, quod antea volebat: aut aliquid non velle, quod antea volebat, nisi facta aliqua mutatione in ipsa, et in actu ejus: si ergo in objecto, seu re voluta aliqua mutatio fit, necesse est, ut fiat in actu, quia tunc voluntas aliquid de novo vult, vel non vult: ergo fit mutatio in toto actu. Patet consequentia, quia non potest fieri mutatio in parte ejus: non enim habet partes entitativas, ut dixi, neque etiam fieri potest in aliquo modo, vel ratione formali accidentali, quia per suam entitatem simplicem, et individualem tendit in totum illud objectum: necesse ergo est, ut mutatio fiat in toto actu, et hoc sensu dici potest bonitatem actus, quoad unitatem numericam sumi, seu pendere ex objecto materiali eodem numero, nam ab illo determinatur voluntas ad hunc singularem actum adjunctis aliis conditionibus: oportet autem per objectum materiale intelligere non unam tantum, vel alteram rem, sed totum illud in quod per modum unius adæquatæ materiæ voluntas hic et nunc versatur, ut magis declarabitur ex his, quæ sequenti disputatione dicemus.

DISPUTATIO V.

DE BONITATE ACTUS INTERIORIS EX CIRCUMSTANTIIS.

Constituimus hic, ut sæpe admonui, circumstantias a fine extrinsecas, de quo, disputatione sequenti, et supponimus omnes distinctiones circumstantiarum supra traditas, tr. 2, disp. 5. Præcipue tamen in tota hac disputatione advertendum est circumstantias, quæ possunt ad bonitatem actus interioris conferre, interdum sumi posse ex parte objecti, interdum ex parte ipsiusmet actus interioris, et priores vocabo semper objectivas, posteriores vero circumstantias ipsius actus.

SECTIO I.

Utrum actus interior, ut sit simpliciter bonus, requirat bonitatem aliquam ex circumstantiis.

1. Ratio dubii pro parte affirmativa est, quia, teste Aristotele, humanus actus versatur circa singula: ergo non potest esse humanus actus ex objecto bonus, nisi habeat in particulari circumstantias bonas, quia bonum ex

integra causa: ergo non potest esse simpliciter bonus, quin a circumstantiis habeat bonitatem: sicut enim non potest esse substantia creata sine accidentibus; ita neque actus humanus sine circumstantiis: sicut ergo non potest esse substantia perfecta, nisi ab accidentibus sibi debitis habeat perfectionem aliquam, ita neque actus voluntatis potest esse simpliciter bonus, nisi a propriis circumstantiis habeat bonitatem. Unde multi theologi actum ex objecto bonum, et carentem bonitate circumstantiarum, dicunt non esse simpliciter bonum, neque honestum, sed tantum secundum quid, scilicet ex genere, ut loquitur Magister, in 2, d. 30, et ibi Bonaventura, dubio 5, circa textum, et ibi Scotus, et d. 40, et quodlib. 18, Gabriel ibi et in 3, dist. 23, Henricus, quodlib. 13, q. 10. Favet D. Thomas 1, 2, q. 28, art. 4.

2. In contrarium autem videtur fieri non posse, ut actus interior habeat bonitatem ex circumstantiis, nam D. Thomas 1, 2, q. 19, a. 2, docet habere illam ex solo objecto. Quod potest etiam ratione probari, quia actus interior non habet a circumstantiis substantialem, et (ut ita dicam) entitativam bonitatem, quia hæc tota sumitur ex habitudine actus ad objectum, nam tota entitas actus interioris habet hanc habitudinem. Rursus neque potest habere a circumstantiis augmentum hujus bonitatis, quia neque hoc augmentum potest esse extensivum, quia hujusmodi genus augmenti non habet locum in actibus internis, ut sæpe dixi, neque etiam intensivum, quia hoc ad summum salvari potest in circumstantia *Quomodo*, quæ se tenet ex parte actus ipsius, non vero in aliis circumstantiis, quæ non intendunt ipsum actum; præsertim in circumstantiis objectivis, ex quarum additione poterunt quidem multiplicari actus interni, per quos voluntas in illas circumstantias tendat, non tamen videtur augeri bonitas unius et ejusdem actus. Nec denique potest hoc augmentum esse solum per denominationem extrinsecam, et moralem æstimationem, quia, ut supra dixi, hæc denominatio in præsentem solum habet locum per informationem, seu imperium unius actus ab alio. Hic autem modus denominandi pertinet ad circumstantiam finis, non vero ad alias, de quibus nunc agimus.

3. *Prima assertio negativa.*—*Præmittitur triplex membrum assertionis.*—Dicendum primo, ut actus voluntatis sit bonus simpliciter, non necessario requirit objectivas circumstantias proprias, a quibus accidentalem bonitatem,